

† R. P. Franciscus Xav. Walsh (1909-1950)

(Vice-Prov. de Manila)

Sabbato 12 Aug. 1950 parva Vice-Provincia de Manila praemature pri-
mum suum sodalem amisit, R.P. Franciscum Walsh, in quo Australiano
quadragenario admirari licet speciem ac formam, vulgo « ideal », perfecti
missionalis Redemptoristae ad exteris gentes.

1) P. Walsh, relicta semel ex obedientia patria et missus in Insulas
Philippinas, ergo in regionem, de qua singulariter verificantur verba
Christi: *Messis quidem multa, operarii autem pauci*, sancto ardore se
totum huic apostolatui difficili dedit, nec quidquam inde ab initio anti-
quius habebat quam idioma magnae insulae septentrionali Luzon proprium,
nempe *Tagalog*, quam perfectissime addiscere. Aectorum diurnorum notitiam
non ex ephemeridibus anglicis hauriebat, sed ex ephemeride Tagalog. Li-
bentius tractabat cum parvulis quam cum adultis linguae anglicae peritis.
Tempore occupationis nipponicae inclusus cum aliis in campo concentra-
tionis, et invitatus ad cursum quemdam hispanicae linguae, maluit etiam
hoc tempus suo idiomati Tagalog funditus percipiendo tribuere. Hoc modo
assecutus est tantam huius linguae indigenae peritiam, ut docti indoctique
aeque libenter eum audirent.

2) Praeterea P. Walsh docet missionarios nostros artem inventis
modernis ad fines apostolatus utendi. « Ad quid serviant (inquietabat) optimae
conclaves et instructiones, si non audiuntur a multis? Primum igitur mul-
titudines attrahere debemus ad ecclesiam et facere « propagandam », sicut
facere solent viri politici et errorum propagatores ». Itaque P. Walsh, non
attendens ad voces vituperantium, etiam confratrum, in suo « jeep » secum
portabat ad locum missionis omnia illa instrumenta moderna, quibus e-
turri ecclesiae omnes loci incolas monere posset, etiam surdastros et re-
fractarios: « *Omnia parata. Venite ad nuptias Filii magni Regis* (cf. Mt. 22, 4). Hac determinata tertia incipit sacra missio. Approve-
rate!... ». Hoc novum systema adeo experientia utilissimum repertum est,
ut passim nunc adhibeatur, ita volentibus etiam parochis.

3) Tandem P. Walsh nostros missionales et hoc docet: Si adulti
venire nolunt, convertite vos ad parvulos. Primo tempore sui apostolatus
in oppido S. invenit in adultis horrendam indifferentiam. Tum adiit ludi-
magistrum et ab eo, licet aegre, obtinuit veniam loquendi ad parvulos in
schola ab h. 13 ad 14. Schola finita, eos duxit ad ecclesiam, ut ibi orare et
canere disserent. Postea addidit alteram catechesim ab h. 11 ad 12. Hoc
modo, in confusionem adulorum tepidorum, saltem complura centena par-
vulorum bene paravit ad primam confessionem et communionem. Ex eo
tempore semper in missionibus sua fecit verba divini Redemptoris: *Sinite*

parvulos venire ad me et ne prohibueritis eos; talium enim est regnum Dei (Mc. 10, 14). Pro his idiomate Tagalog scripsit novum catechismus et ubique distribuit.

In quodam vico (*barrio*) prope Baclaran quondam praeparabat iuventutem ad primam communionem. Eius absentia abutitur missionalis americanus acatholicus et pueros puellasque numismatibus, imagunculis, granis zea (*pop-corn*) attrahit ad suum sacellum. Postea advenit P. Walsh. Indignabundus sacellum intrat, statim a parvulis salutatus: « Salve, Pater Walsh! » Ille autem voce forti clamat: « Silentium! In eo est, parvuli, ut tectum huius aedificii concidat; quare subito exeamus! » Exit, et cum eo omnes pueri et puellae, et invanum obstupefactus ministellus clamat: « Protestor, domine, protestor! Tu iuventam subtrahis ab audiendo verbo Dei! Protestor! ».

At nondum facta principalia vitae Patris W. enumeravimus. Natus est in Rutherglen, Victoria, 14 Dec. 1909. Sedicennis a. 1926 venit in nostrum iuvenatum, qui tune in Galong erat. Post ferias Natalicias a. 1927 admirationem et risum commilitonum excitat Franciscus, revertens cum cane venatico, et cum is mox aufugisset, sibi alterum procurat et eius ope horis liberis fit venator famosus vulpium, in regione Galong adhuc numerosarum. — Sed hic Nemrod erat quoque poëtae Shakespeare amantissimus et eius dramata celeberrima cum manipulo scenerorum a se collectorum repraesentare in deliciis habebat. Sed talia delectabilia eum minime retrahebant a studiis seriis, et in fine iuvenatus in historia et lingua anglica obtinuit primum praemium.

Quo tempore studiis altioribus vacabat, studentatus australianus a Pennant Hills ad Ballarat translatus est (a. 1933). Ibi igitur Franciscus W. 8 Mart. 1936 presbyter ordinatus est et a. 1938 in Insulas Philippinas missus, ostendens subsequentibus duodecim annis, quam solida fundamenta posuerit praecedentibus annis formationis. In ultimo Catalogo invenitur inter sodales communitatis Melburnensis, quia, liberatus a captivitate iaponensi, per biennium gubernaverat communitatem Baclaran et tune in patriam ad tempus redierat ad vires exhaustas restabiliendas; verum quam primum potuit, ad dilectam suam Missionem reversus est.

Tragica mors evenit hoc modo. Februario 1950 fortes sensit dolores internos, sed post quietem aliquot hebdomadum ~~sacras~~ expeditiones reassumpsit. Iisdem doloribus gravius se manifestantibus, a chirurgo appendix intestinalis reperta est in pessimo statu et resecta; sed vera mali sedes, grave ulcus in iecore, nondum inventa est. Ad tempus quidem iterum solito entusiasmo operabatur, donec exeunte Iulio morbus recrudesceret. Subiit igitur 10 Augusti novam operationem chirurgi, quae tamen mali causam non abstulit. Etiam sanguinis transfusio sine effectu adhibita. Vespere feriae VI, etiamtum sui conscius, a P. Vice-Provinciali pientissime recepit extremam unctionem. Postea delirabat. Brevi ante obitum evomuit ingentem sanguinis atri copiam. Sabbato h. 3,10 inter preces confratrum et Sororum placide exspiravit.

Propter naturam morbi iam h. 10 eiusdem diei Missa exsequialis cantabatur. In theca sepulcrali iacebat corona florum agrestium a parvulis vici Baclaran ibi deposita. Quam significativum est hoc donum! Cadaver postea sepeliebatur in vicino caemeterio vici Pasay. Ibi igitur gloriosam resurrectionem exspectat hic dignus signifer Vice-Provinciae de Manila. Requiem aeternam dona ei, Domine!
